



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

451. An Capitulum alterius sæcularis Collegiatæ, non exemptæ vacantis,  
seu privatæ suo capite, succedat & administret.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

dum Episcopus ab hostibus aut pugnans captus est. Card. de Luca, de benef. d. 16. n. 4 junctio n. 11. citans Rebuff. in c. cum nulla de concess. preb. Ventrig. loc. cit. citans Meroll. theol. mor. p. 3. d. 7. c. 7. Marschot. var. resol. l. 2. c. 15. n. 38. qui testatur, sic fuisse decisum in Burgen. 10. Martii. 1597. eoram Orano juxta tex- tum c. si Episcopus. de suppl. neg. Pratalor. in 6. ubi disponitur, ut Episcopo in captivitatem redacto ecclesia censeatur vacante (ubi tamen r. vacare impropriè accipitur, ut Card. de Luca cit. n. 11.) & jurisdictione ad Capitulum devolvatur.

3. Item exceditur responsio, quando Episco- pus degit in remotis, & Vicarius illius relictus in diaconi moritur absque alia Episcopi provisione. Ventrigl. loc. cit. citans Quarant in sum. Bullar. v. Ca- pitulum sede vac. n. 1. Genuens. in pr. c. 86. n. 11. Dia- nam p. 6 tract. 4. resol. 3. Meroll. loc. cit. n. 6. dicunt autem Episcopos esse in remotis, quando ejus pra- testitia brevi haberi nequit. Ventriglia. loc. cit.

**Questio 448.** An exinde quoque, quod vices gerat & supplet defuncti Episcopi, Capitu- lum sede vac. sit & vocari possit Vicarius Episcopi?

**R**esp. videri questionem hanc habete multum de nomine. Capitulum sede vacante inter Vi- carios Episcopi conumerandum assertit Sbroz. loc. cit. n. 1. dicendum quoque propriè Vicarium Episcopi, affirmant gl. in c. cit. c. unic. de major. & obe- dientia. Innoc. in c. eam te. Decius loc. cit. n. 7. apud Sbroz. cit. n. 1. cōd quod vicarius (intellige propriè talis) dicatur à vice. quam gerit juxta l. vicarius ff. de legat. Sylv. in sum. vicarius. Bellin. tral. dare miti- tari. p. 1. tit. 17. de off. vic. n. 1. & seq. Unde etiam tali capitulo tanquam vicario Episcopi literas trans- mitti à Papa, restatur Innocent. loc. cit. n. 5. apud Sbroz. loc. cit. n. 4. & quos citat Federic. de Senis. cit. cons. 30. n. 3. Abb. in c. cum offm. n. 1. Roman. conf. se 6. n. 13. quin etiam testetur, esse opinionem communem. rationes tamen, quas adducit pro se Sbroz, non magnopere stringere videantur, nempe quod longè plura possit. Capitulum sede vacante quam Vicarius Episcopi (intellige generalis) vivente Episco- po, quod possit constituere vicarium, qualem con- stituere nequit Vicarius generalis Episcopi. quod non fungatur in omnibus vice Episcopi, puta in collationibus beneficiorum. ad quod tamen po- strem ipse Sbroz. advertendum ait, etiam Vicaria- rum generalem Episcopion posse omnia, quae Episcopus, ad priora verò facile dici possit, dari Vicarios plures propriè tales, et si unus eorum plus possit, quam alter.

**Questio 449.** An quoque succedat, & ius ad- ministrandi habeat Capitulum Ecclesie ex- emptæ, habentis jurisdictionem quasi Epi- scopalem?

**R**esp. Capitulum talis Ecclesie omni modo ex- empta, ea vacante, non secus, ac Capitulum cathedralis administrationem & jurisdictionem habet (potest prouide, ut probabiliter Pith. loc. cit. n. 16. corrigere, ferre censuras, aliisque facere; qua- tale capitulum cathedralis, de quibus inferius) quia tales ecclesie æquiperant cathedralibus. Laym. in c. his que de major. & obedient. n. 2. Pith. loc. cit. n. 58. sic quoque in praxi servari testantes.

**Questio 450.** An etiam Capitulum ecclesie col- legiate, qua est titulus Cardinalis, et va-

cante, seu mortuo Cardinali administret, & succedat in jurisdictione?

**R**esp. affirmativè Laym. loc. cit. Fagn. in c. his que de major. & obed. n. 2. & 32. Pith. loc. cit. n. 14. & 16. juxta expressum textum cit. c. his que. ubi statuit Pontifex, ut mortuo Cardinali titulari talis eccle- sia presbyteri Capellani clerici Capellarum seu Parochiarum alias eidem Cardinali ratione talis tituli subiectarum Capitulo seu collegio istius ec- clezia collegiata titularis in omnibus obediunt. Pith. cit. n. 14. Fagn. loc. cit. n. 1. Atque ita spectato jure communii mortuo Cardinali tota administra- tio & jurisdictione Cardinalis devolvitur ad Capitu- lum, seu collegium dicta Ecclesie collegiata, sicut mortuo Episcopo tota eius administratio transit ad Capitulum Ecclesie cathedralis, nisi Papa quæ- dam exceperit. Fagn. Pith. l. cit. quemadmodum Papa in cit. c. his que. exceptit, sibi que reservavit pro bono pacl, ut inquit, correctionem, excommuni- cationem, suspensionem, interdictum, in ordine ad quæ dicti presbyteri, clerici &c. subjecti erant alias Cardinali, & subjecti permanent subditi Episcopi vacante sede Episcopali Capitulo cathedrali, ut dicetur infra. Proinde hodiecum mortuo Cardinali Capitulum eiusdem Ecclesie titularis non poterit causas criminales cognosceri, ferre censuras &c. Idque vi juris communis; cōd quod ea potestas, et si cessante exceptione illa papali competet et tali capitulo de jure communis (ut tenent Pith. cit. n. 16. & Abb. antiquo in c. his que in fine & Bellam. notab. 5. Abbas Panormit. n. 2. Host. apud Fagn. cit. n. 34. contrarium & forte melius, ut ait Fagn. tenentibus cum Innoc. in cit. c. his que. n. 2. cōd quod nec capi- tulum, nec Cardinalis ille titularis hanc habeat jure proprio, sicut eam haber Episcopus, sed spe- cialiter à Papaâ) per reservationem tamen Papa in- sertam corpori juris, adeòque facientem ius com- munem (non secus ac privilegium insertum) Juris communii facit ius commune gl. 4. in c. constitutio- nem, de regul. jur. in c. Jo. And in c. ex parte il. primo. n. 3. Hostiens. &c. apud Fagn. loc. cit. n. 35.) ablata est. Porro ratio, cui Papa dicat, se bono pacis reservare sibi illa, est, quod quia consuetudo in Urbe allega- batur, vi cuius capitulum dicebatur habere potes- statem illam corrigit, & censuras ferendi, pon- tifex ad vitandas litigias, & scandalum noluit illam consuetudinem approbare, sed ex suo officio pro bono pacis id sua providentia reservavit. Fagn. cit. n. 34. Pith. cit. n. 16.

**Questio 451.** An quoque Capitulum alterius saecularis collegiate, que non est titulus Car- dinalis, aut alias exempta vacantis seu pri- vata seu capite succedat, & administret?

**R**esp. Supposito, tales Prałatum inferiorum R. v. g. Praepositum aut Decanum talis Colle- giatæ habere jurisdictionem dignitatis sua an- nexam in illa ecclesia, & capellis eidem subjectis, earumque clericos, idque, ut bene Pith. loc. cit. n. 59. privativæ seu excluso Episcopo, ita ut is in prima instantia se immiscere nequeat, modò inferior illæ Prałatus ite implat officium suum, eam non ha- beat frustra, quæritur, ut rectè ait Fagn. in c. his que. n. 36. an ea sit transmissibilis in Capitulum sede va- cante non convenire adhuc AA. inter se in puncto hujus questionis. Negativam, nimurum, adminis- trationem, & jurisdictionem non transire mortuo Prałato ad tale Capitulum, tenent Laym. ad cit. c. his que. n. 4. Pith. loc. cit. n. 59. secuti in hoc Felin. in idem

M&c. in 4. & 5. argumento. Pro qua opinione citantur quoque à Fagn. loc. cit. n. 39. Bellam. in cit. c. n. 6. ( quamvis illum eam tenere vacillando assertat ) Item n. 42. Innoc. in c. cum accessissent de constitut. n. 3. Abb. in c. cum. directus. n. 9. de consuetud. Butrio. Imol. Dominic. Rationes illorum sunt primò dato etiam inferiores istiusmodi Prælatos habere jurisdictionem illam ordinariam à jure ( cuius tamen contrarium fusè & rectè probat Fagn. à n. 36. ed quod solus Episcopus de jure fundar intentionem super jurisdictione ordinaria ita tota diecet juxta c. omnes Basilea. 16. q. 7. c. conquerente de off. ordinari. adeoque inferior, vel Plebanus contendens jurisdictionem ad se pertinere nisi docuerit, eam de iure specialiter se pertinere, semper succumbet. c. cum directus. de capellis monachor. c. cum olim. de praescript. in 6.) devolutum jurisdictionis ab Episcopo, vel Prælato induci non debet, nisi tantum in casibus à jure expressis. c. quamquam. de elect. in 6. Jam vero jurisdictionem sede vacante transire ad Capitulum, expresse tantum habetur de Ecclesiis Cathedralibus, vel quasi Episcopalibus, quæ exemptæ à jurisdictione Episcopi episcopalibus æquiparantur. c. cum olim. & c. his qua. Fagn. n. 46. Pirh. n. 59. Batbol. de jure eccl. l. i. c. 32. n. 136. Et id quidem propter diversam rationem, quæ est in Ecclesiis illis inferioribus non exemptis, & ecclesiis Cathedralibus, vel collegiatis exemptis; quia nimis in his, si Capitulum non succederet defuncto Episcopo vel Prælato, non esset, qui posset huic defectui providere; in aliis vero inferioribus & matricibus illis ecclesiis adest Episcopus, qui adiri & defensio illos supplere potest. Fagn. Pirh. loc. cit. quin & est differentia inter has Ecclesiis inferioribus, & collegiatas, quæ sum titulus Cardinalis alicujus, nimis quod Cardinalis in suo titulo habet jurisdictionem ordinariam de jure communi. Fagn. n. 46. Laym. loc. cit. n. 1. Pirh. loc. cit. n. 15. secundò, dato jam jure quodam speciali, puta præscriptione, coniustudine, privilegio, competere illis Prælati inferioribus ( ut fieri potest Fagn. n. 39. citans c. cùm ab Ecclesiis, de off. ordinari. c. cum olim. c. audit. de praescript. c. accidentibus, de excess. prælator, adhuc non poterit in ea succedere tale Capitulum. Imprimis nondum acquisita præscriptione; cùm præscriptio sit statu juris, adeoque ultra præscribentem non extenditur ad alios, adeoque nec ad Capitulum, nisi forte Capitulum in hoc ipso quoque, nempe ut vacante Prælaturâ jurisdictionem exercere possit, præscriptis. Pirh. Laym. ll. cit. Neque dum acquisita privilegio; quia ea, quæ non communiri, sed speciali jure competunt Prælato, non transeunt in Capitulum sede vacante. Laym. Pirh. ll. cit. & quos citat Fagn. n. 43. gl. in c. scriptum v. temporis. de elect. & ibidem Abb. n. 5. Innoc. in c. verum. de foro competence. & ibid. Felia. in princ. Idem est de jurisdictione delata, nec non de feudali. Atque ita hanc sententiam in punto juris veriore esse, & de jure sustineri posset Felia. quamvis fateatur, materiam esse dubitabilem. Quinimo dicat, sententiam contrariam, nempe in ecclesiis inferioribus non exemptis sede seu Prælaturâ vacante Capitulum succedere in jurisdictione communiter teneri, & receptam esse consuetudin. licet negativa in punto juris sit verior. Pirh. cit. n. 59. Fagn. n. 48. ubi: verum, ut subdit Felia. etiam, ubi jurisdictione spectat de jure speciali ad solum Prælatum, communiter tenetur, ut Capitulum succedat in ea, & ista opinio secundum illum sequenda est, tum propter authoritatem Abbatis, & eorum, quos aliegarunt propter consuetudinem, quæ est opti-

mæ dubitorum interpres. c. cùm directus. de consuetudine. & de ipsa attestatur DD. in Clem. ne in agro, de statu monach. Hanc etiam opinionem communiter teneri affirmit Pavin. de off. & potest. capit. sed. vac. prælud. 6. n. 16. eamque secura est Rota in Bingis. jurisdict. 22. Jun. 161. quæ est inter impressas decisio 346. p. i. recent. ita Fagn.

2. Affirmativæ contra simpliciter tenet Abbas in c. his qua. n. 2. ubi post multa concludit, quod ubi potest aliquæ ratione Prælatura competet, Prælato illo mortuo, ea transeat in Capitulum, exceptis his, quæ non possunt explicari sede vacante, ut alienatio bonorum: quāquam rationes, quas profite adducit Abbas, refellit satis bene Fagn. à n. 45.

3. De cetero, quando non tam queritur de jurisdictione, quam administratione bonorum, concedendum est, inquit Fagn. cit. n. 48. conventum succedere Prælato inferiori per c. ea qua. de statu monach. secundum Felin. in c. his qua. n. 2. Item ubi jurisdictione, & potestas est simultanea seu communis inter Capitulum, & Prælatum, de quo casu loquitur c. ea nos situr. de his, quæ sunt à Prælat. quod pro se civitatis Abb. dubium non est, quin mortuo Prælato, seu sede vacante jurisdictione maneat penes solum Capitulum. Fagn. cit. n. 48. Pirh. n. 59. Laym. loc. cit. n. 3. cum Felin. juxta textum c. final. de regular. in 6. & argumento c. uniu. ne sede vac. lib. cod.

*Quæstio 452. An Capitulum Ecclesia regularis non exempta, sede seu Prælaturâ vacante succedat in administratione & jurisdictione?*

1. R Esp. Non succedit tale Capitulum seu conventus, sed administratio & jurisdictione devolvitur ad Episcopum, si monasterium non sit exemptum, sed ei subjectum. Pirh. ad tit. de major. & obed. n. 60. Laym. ad c. his qua. tit. c. d. n. 5. citans Felin. in idem c. argum. 4. Imol. ibid. Jo. And. in c. 2. n. 2. item apud Fagn. loc. cit. n. 45. Speculat, ad tit. de statu monach. n. 26. ubi postquam dixisset, tenere quodammodo vacante Monasterio totam potestatem residere penes Capitulum, adeoque posse Capitulum, sive conventum recipere monachos, subdit; contrarium tamen servati videmus, & bene. contra Dominic. in idem c. 2. n. 2. tenentem, quod secundum dum jura conventus succedat Abbat in jurisdictione, proinde Episcopus dare potest administratorem in spiritualibus, & temporalibus. Felin. Jo. And. Laym. Pirh. ll. cit. habet enim jurisdictionem in omnia monasteria sui diecesis non exempta, tametsi autem eam exercere nequeat in his, quæ ad disciplinam religiosam spectant, dum ordinis Prælatus officium suum rite obit, eo tamen deficiente, seu in defectum illius exercitum jurisdictionis ad eum devolvitur. Laym. citans seipsum in c. quanto & c. penult. de off. ordinari. ita ut administratorem etiam in illis, quæ ad regularem disciplinam spectant, statuere possit. Pirh. cit. n. 60. Unde jam etiam conventus Prælato mortuo, si ad eum solum spectabat creare seu recipere Monachos eos recipere nequit; secus si spectabat ad Abbatem, & simul ad conventum, pro ut expresse definitu c. fin. de regular. in 6. multò vero minus administratio illis; & jurisdictione devolvatur ad Priorem claustralem, vel seniorem Laym. Pirh. ll. cit. votum enim obedientia ( ratione cuius potissimum religiosi subduntur Abbatii, seu Prælato ordinis) non præstatur tali Priori, aut etiam conventui, sed ipsi Prælato; ergo Prælato mortuo potestas, & jurisdictione illius, per quam in virtute obedientia, vel etiam sub pena excommunicationis præcipere poterat, non transit ad ramum Priorem aut seniorem. Laym. loc. cit. & ex eo Pirh.

P. 2

2. Quid